



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Clementis Papae III. Ad VVilielmvm Regem Scotorvm. De
exemptione ecclesiarum terrae suae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

excommunicationi subesse tamdiu faciatis, & ab aliis arctius euitari, donec ad mandatum ecclesiæ reuertantur absolutionis beneficium ab eodem episcopo petitori. Ad hæc altaribus & calicibus, in quibus iam dictus Hugo dum in excommunicatione positus celebrauit, purificationem & sanctificationem iuxta consuetudinem ecclesiæ conferatis. Ad ecclesiam quoque sancti Andrea pariter accedatis, & fratribus conuocatis in vnum intretis capitulum, & de ordine & statu ecclesiæ diligentius inquiratis; & si quid in eadem ecclesia per supradictum Hugonem immutatum inueneritis vel statutum, auctoritate nostra id in statum debitum inducatis; & si quid in ipsa fuerit corrigendum, efficaciter studeatis id in melius reformare. Si vero (quod absit) aliquos ex canonicis ad recipiendum humiliter & deuote pastorem suum prædictum duos inueneritis & rebelles, eos instantius moneatis vt illi reuerentiam & obedientiam patri debitam exhibeant, & a maligno atque damnabili proposito suo desistant. Quod si contumaces extiterint, eos ab officio pariter & beneficio suspendatis, & excommunicationis vinculo innotetis, quo ipsos faciatis manere ligatos, donec monitis & mandatis ecclesiasticis acquiescant. Quod si omnes his exequendis interesse nequiveritis, reliqui ea nihilo minus exequantur. Datum Pisæ decimosextimo Kalendarum Februarii, indictione sexta.

EPISTOLA VI.

CLEMENTIS PAPÆ III.

AD VIIELMVM REGEM SCOTORVM.

De exemptione ecclesiarum terræ suæ.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio
Vilielmo illustri Scotorum regi salutem & apo-
stolicam benedictionem.*

CVM vniuersi Christi iugo subiecti ad sedem apostolicam patrocinium inuenire debeant & fauorem, illos tamen specialius conuenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem ac deuotionem in pluribus est experita, vt ad ipsius electionis fauorem tanto amplius prouo-

Conc. Tom. 28.

F

cetur, & eius reuerentiæ deuotiori affectione subdantur, quanto beneuolentiæ ipsius & gratiæ pignus se nouerint certius affecutos. Eapropter (carissime in Christo fili) reuerentiam ac deuotionem, quam ad Romanam te habuisse a longis retro temporibus ecclesiam nouimus, attendentes, præsentis scripti pagina duximus statuendum, vt Scotiana ecclesia apostolicæ sedi, cuius filia specialis existit, nullo mediante debeat subiacere. In qua hæc sedes episcopales esse noscuntur: ecclesiæ videlicet sancti Andree, Glasceusis, Dunkeldensis, Dumblinensis, Brehinenfis, Aberdonensis, Morauiensis, Rosensensis, Katinensis, & nemini liceat nisi Romano pontifici, vel legato ab ipso latere destinato, in regnum Scotiæ interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiciamus, vt nulli de cetero, qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinauerit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, vt controuersiæ quæ fuerint in regno illo de possessionibus eius exortæ, ad examen extra regnum positorum iudicum non trahantur, nisi ad Romanam ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra huius libertatis statuta apparuerint impetrata, vel in posterum, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari, nullum tibi vel ipsi regno circa huius prærogatiuæ concessionem præiudicium generetur. Præterea libertates & immunitates tibi vel eidem regno, vel ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus indultas, & hæcenus obseruatas, ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Laterani III. Idus Martii, pontificatus nostri anno primo.